

CONCIO V.

CHRISTUS SOLUS VERE, SEU OMNIUM MAXIME
PEREGRINUS IN MUNDO.

- I. Quia peregrina lingua locutus, mundo ignota. —
II. Quia habitus ejus maxime peregrinus erat. — III.
Quia doctrinam attulit prorsus peregrinam. — IV.
Quia pene omnibus ignotus erat. — V. Quia velut
peregrinus a mundo spretus et derisus fuit.

THEMA.

Tu solus peregrinus es in Jerusalem? Luc. XXIV.

Rem acu tetigit Cleophas, quando Christum Dominum solum reputavit esse peregrinum in Jerusalem, tametsi alio sensu talem compellavit. Erat enim revera Dominus peregrinus, non modo in Jerusalem, sed in toto mundo, in quem e cœlesti patria descendit, ut eo peragrato ad patriam rediret. Recte etiam solus dicitur peregrinus, qui uti nihil uspiam in hoc mundo habuit aut quæsit, ita ex eodem cupidissimo animo ad patriam remeavit. Nos omnes, quotquot sumus, inviti hinc eximus, tametsi bene advertimus nos hic esse in exilio, nec habere manentem civitatem; unde nos agnoscimus quod peregrini simus, quia patriam nostram oculis non aspiciamus. Vir justus fuit Loth: suam tamen Sodomam, utpote amœnam et locupletem, ægre valde deseruit; tametsi ab angelis monitus, concremandam fore. Itaque angelus Domini manum ei injicere et educere eum debuit ab imminente ignis periculo, ne cum impiis periret, Gen. XIX. Simillimi huic Loth sumus: mundum huc speciosum inviti derelinquimus, licet audiamus eum aliquando igne conflagrationis exurendum. Itaque angelus magni consilii, Christus, habitu peregrini descendere de cœlo et divertere ad nos voluit, ut exemplo suo præcedens excitaret et animaret nos ad deserendum mundum, et desiderandam toto pectore patriam nostram cœlestem. Quam vere autem et proprie peregrinus fuerit, nunc videamus.

Solent peregrini ex his fere notis agnosci: lingua utuntur incognita, habitum gestant vilem et viatoribus commodum, recensent mira et inaudita, a nemine noscuntur, negliguntur et spernuntur.

I. Talis fuit Christus Dominus, quia locutus est lingua plave peregrina, et civibus hujus mundi prorsus incognita. Idcirco ad eos dixit Jo. VIII. *Quare loquelam meam non agnoscitis?* Loquelam, h. e. ? idiotismum, ut exponunt aliqui. Sed quid mirum? Ipse enim de supernis erat, illi de deorsum

erant, ut ibidem dixit. Unde S. Chrysostomus in eum locum ait: *Id autem vobis evenit propterea, quod mens vestra humi repit, mei sermones alt eriguntur.* Loquebatur Christus lingua cœlestibus consueta, et res, quales revera in se erant, exprimebat, v. g. divitias et voluptates appellabat *spinus*, Matth. XIII. cruciatus et passionem suam vocabat *calicem*, Joan. XVIII. laborem suum *cibum*, Joan. IV. viventes in peccatis dicebat *mortuos*: *Sinite mortuos sepelire mortuos suos*, Matth. VIII. mortem piorum appellavit *somnum*: *crucem exaltationem*: *peccatores ægrotos*: *justos vere sanos*: *bona temporalia mammonam iniquitatis*: *castitatis studiosos indigebat eunuchos*: *longissimum tempus horam aut mollicum, etc.* Ratio est, quia mundus vocat res secundum quod apparent, Christus autem secundum quod reipsa sunt. Mundus judicat et loquitur secundum faciem, Christus secundum hominum consentiam. Mundus ex corporibus denominationem capit, Christus ex animo et spiritu. Mundus ab initio rerum nomina sumit, Christus a fine et exitu. Mundus rerum mensuram a cœlorum motu accipit, Christus ab æternitate, respectu cujus omne tempus punctum est et nihil. Itaque in rei veritate juxta idioma Christi et angelorum, divitiæ non rosæ sed *spinæ* sunt, quia etsi corpus delectant, animus tamen longe gravius sauciant. Passio *calix* quidam præclarus est, quia etsi ad modicum et initio mordet, in fine tamen indeficientem adfert dulcedinem. Labor *cibus* est, quia etsi corpus affligit et atterit, animus tamen meritis roborat et saginat. Qui in peccatis degunt, vivunt quidem corpore, secundum viliores scilicet hominis partem, animo autem *mortui* sunt, nobilissima ejus portione. Mors hominibus quidem interitus, Deo autem *somnus* est, quia ita facile suscitatur mortuos, uti suscitamus nos dormientes. Crux pro fide aut justitia irrogata hominem coram mundo quidem deprimit et confundit, coram Deo vero *exaltat*, et sic de cæteris. Propterea monuit per-versos rerum aestimatores: *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate*, Joan. VII. A potiori fit denominatio, et juxta hoc axioma denominant omnia cœlites, quorum linguam loquebatur Christus; vere itaque peregrinus fuit et solus in hoc mundo. Cæterum nos sicum illo de Sodomis exire et salvare nostras animas volumus, ejusdem idiomate loqui oportet, adeoque res non ut apparent, vel ut initio arident, sed quales in se revera sunt, et quale in termino erunt expendere et aestimare. Ita S. Franciscus paupertatem vocabat *dominam suam*; corpus suum appellabat *asinum*, quia brutum est et pigrum; pecunias dicitabat *muscas*, quia vexant

curis et molestant; creaturas omnes *suos fratres* ob communem creatorem: e contra mundus ut sua vitia tegat, palliat nomine virtutis; superbiam appellat civitatem, avaritiam providentiam libidinosos vocat gratiosos, iracundos animosos, prodigos liberales, vanos et leviculos asserit aulicos et urbanos.

II. Quia habitus ejus peregrinus, h. e. vilis et contemptus fuit, minime competere visus tali personæ, qualem se credi cupiebat et qualis revera erat. Erat enim Rex gloriæ, cœli et terræ Dominus, et talem sese esse variis rationibus demonstravit; interim tamen externi splendoris nihil præ se ferebat. Vestitus ipsi erat vulgaris et plebeius, victus pauper et communis, famulorum caterva nulla, divitiæ nullæ, sed summa potius paupertas et contemptus opum. Hoc autem in rege, præsertim tali, peregrinum, inusitatum et admirabile est. Cæteri reges et principes ex pompa dignoscuntur, quam secum circumferunt; quæ in Christo nulla erat quinimo fassus est, se non habere ubi caput reclinaret, uti certe nec habuit in stabulo, eoque alieno natus est, in cruce pendens mortuus, in alieno sepulcro conditus, nudus ingressus est mundum, et nudus inde egressus. Quis unquam adeo pauper fuit? Alii peregrini habent saltem alicubi suam patriam et domunculam, qua se recipiant: Christus in hac terra ubique peregrinus, ubique exul fuit. Unde Tertullianus, lib. de idololatria, cap. XVIII. ait: « Ille Dominus in humilitate et ignobilitate incessit domicilio incertus: nam Filius, inquit, hominis non habet ubi caput suum collocet: vestitu inculcus; neque enim dixisset: Ecce qui teneris vestiuntur, in domibus regum sunt, vultu denique et aspectu inglorius, sicut Isaias pronuntiaverat, etc. » Et mox: « Quales et quanti eum fascies producerent; qualis purpura de humeris ejus floreret? Quale aurum de capite radiaret? Nisi gloriam sæculi alienam sibi et suis indicaret? » Ad extremum vendi voluit, ut ipsius pretio pauperibus peregrinis sepultura locus emi posset. Itaque pauperibus omnibus longe pauperior fuit. Causam desideramus? Verus splendor, pompa et divitiæ, non in auro et argento, non in vestibus et gemmis, sed in virtutibus consistit, sicut equi præstantia non in corporis nitore, non in phaleris et ornatu, sed in robore et agilitate, indole posita est. Aurum et vestium splendor divitem prædicant, sed bonum non efficiunt. Aliæ cœlitum divitiæ, alii ornatus sunt, qui ipsos bonos et sanctos reddunt. Mundi cives cum sint nudi virtutibus, ornatum sibi quærunt externis tegumentis; quomodo Terpsithea, cum esset toto corpore deformis, imaginem sibi ve-

nustissimam fieri curavit, oris sui turpidinem falsis tabulæ pigmentis honestare cupiens; apud Theop. in ep. Græcis. Ita mundus quidem: sed non id docuit Christus, qui nostræ quidem conditionis miserias cum natura nostra assumpsit, luctum, famem, sitim, lassitudinem, labores, dolores, ignominiam, mortem; omnia hæc in se cohonestando et quasi deificando: solas mundi divitias et splendorem rejecit et contempsit. Nimirum vidit Dominus mundum hunc esse vastam quamdam et horridam silvam, et feris et latronibus infestam, sibi transeundam. Quemadmodum ergo viator, qui talem pertransire silvam debet, vilem induit habitum, nullas secum pecunias fert, nisi quas necessitas requirit: ita egit Christus: qui alioquin, si cum splendore et opibus advenisset, multo plures et potentiores hostes reperisset, Rom. imperatorem, Herodem, aliosque æmulos. Quisquis ergo per hanc mundi silvam securus pergere cupit, peregrinum imitetur Christum, neque secum ferat, quæ allicere insidiatores possint.

III. Quia doctrinam in mundum attulit peregrinam, novam et stupendam, adeo ut eo prædicante dicerent homines: *Quidnam est hoc? Quænam doctrina hæc nova?* Marc. I. Hujusmodi sunt imprimis octo beatitudines, illæ præsertim: *Beati pauperes spiritu, beati mites, beati qui lugent, beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, beati qui persecutionem patiuntur.* Rursum illa ejus pronuntiata: *Qui amat animam suam perdet eam*, Joan. XII. *Qui se exaltat, humiliabitur*, Luc. XVIII. *Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister: et qui voluerit inter vos primus esse, sit vester servus*, Matt. XX. *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram: et qui vult tunicam tollere dimitte ei et pallium.* *Diligite inimicos vestros, etc.* Matth. V. *Cum invitatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco.* *Cum facis prandium, noli vocare amicos tuos, neque vicinos divites: sed voca pauperes, debiles, claudos, etc.* Luc. XIV. *Beatum est magis dare quam accipere*, Act. XX. similia alia. Doctrina hæc nova et peregrina est in mundo; quia mundus ea tantum sapit, quæ carnis sunt, non quæ spiritus: quæ præsentis tempore felicitatem promovet, non quæ futuro sæculo prospicit: terrena quærit, non cœlestia; per arma, vim et robur, per astutiam et opes ascendere vult ad beatitudinem suam, per honores et voluptates, non per virtutes, unde toto cœlo aberrat. Quis enim nescit animam præferendam corpori? Virtutem vitio? Cœlestia terrenis, æterna temporalibus? Vera et solida bona fictis et inanibus? Ad illam viam docuit Christus: ad hæc trahit mundus. Uter vero audiendus potius:

Dei Filius, an mundus? Nullus hic dubitandi locus. Quare sancti viri, imitatores Christi, hæc sapientissima dogmata, mundo licet paradoxa, sibi sectanda proposuerunt, quæ frequens in ore habebat B. Ægidius, e primis S. Francisci sociis unus: « Si quis tecum contendat, cedas illi, et victor abibis: alioquin ubi vicisse te arbitraberis, ad extremum victum te senties. Si vis bene et acute cernere, (per fidem scilicet) erue tibi oculos: si vis recte loqui, præcide linguam, ut obmutescas. Si cupis esse membrum integer, mutiles ea: si vis bene vivere mortifica teipsum: si vis bene edere, jejunes: si cupis dormire bene vigiles. Si cupis lucrari bene, da operam ut perdas. Si vis esse dives, esto pauper: si vis esse in deliciis, afflige te. Si vis esse securus, esto semper in timore. Si vis exaltari, humilia te. Si vis honorari, despice te, et honora despicientes te. Si vis habere bonum, sustine malum. Si vis esse in quiete, labora. Si vis benedici, desidera maledici. » Quibus subjecit: « Sapientissimus profecto, qui sic facit; sed non omnibus id studio est. » Ita in ejus vita 23. aprilis apud Sur. Didicit hæc utique a magistro suo Francisco, cui ante Crucifixi imaginem oranti dixit Christus: *Francisce amara pro dulcibus sume, et teipsum contemne, si vis me cognoscere.* Ut in ejus vita. Alia longe pronuntiata, alia dogmata sunt civium hujus mundi, e diametro his contraria: carni blandiendum, anima negligenda, voluptates sectandæ, virtutes deridendæ, præsentia querenda, futura explodenda, honores rapiendi, contemptus fugiendus, vindicta sumenda, mansuetudo exsibilanda, etc. At qui vexillum Christi requirit et peregrinum se in hoc mundo agnoscit, his Sirenum cantibus aures ocludit.

IV. Quia pene omnibus ignotus fuit, velut advenisset ex ultimis terræ finibus, nec mirum; quia de cælo in terram venit. Peregrini ignoti sunt in exteris quidem terris, noscuntur tamen bene in patria sua: Christus in toto mundo ignotus fuit, ignotus Herodi et Pilato; ignotus principibus sacerdotum, Annæ et Caiaphæ; ignotus scribis et Pharisæis, qui dicebant: *Hunc autem nescimus unde sit,* Joan. IX. ignotus suis cognatis: *Neque enim fratres ejus crediderunt in eum,* Joan. VII. ignotus denique suis discipulis, quibus dixit in ultima scena jam iturus ad mortem: *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me?* Joan. XIV. plene scilicet et perfecte. Hoc idem vaticinatus est in Psalm. LXVIII. *Extraneus factus sum fratribus meis et peregrinus filiis matris meæ.* Voluit quoque subinde ignotus esse ad tempus suis amicissimis; uti discipulis in mari laborantibus, ambulans supra mare, Magdalene ad sepulcrum,

duobus euntibus in Emmaus, discipulis piscantibus. Denique ubicumque se abstrahere potuit a tumultu populi absque neglectu muneris sui, ad quod missus est, curandarum scilicet animarum, ibi se subduxit; nunc in mentem fugiendo; nunc in mare se recipiendo; nunc se abscondendo; nunc a loco, in quo magnum aliquid fecerat, mox abeundo; nunc in occulto Jerusalem ascendendo, etc. Gessit etiam se ac si nihil sciret de rebus mundi hujus, quod ex crebris ejus interrogationibus intelligimus. Parentes pueri arreptitii interrogat: *Quantum tempus est, ex quo hoc ei accidit?* Marei IX. turbam: *Quis me tetigit?* Luc. VIII. Phæppum: *Unde enemus eum?* Joan. VI. sorores Lazari: *Ubi posuistis eum?* Joan. XI. discipulos in hod. evangel. *Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem?* Et iterum: *Quæ?* scilicet contigerunt. Jerusalem Pharis. *Cujus est hæc imago et superscriptio?* Matth. XXII. etc. Tametsi enim omnia sciebat, quæ in mundo fiebant, ita tamen ea, quæ mundi sunt negligebat, ac si minime sciret. Docuit igitur hoc exemplo servos suos ut et ipsi latere, quantum absque præjudicio salutis proximi fieri potest, studeant potius quam patere. « Nisi enim, inquit S. Basilius, in reg. fus. interrog. V. ab ea, quæ ex sanguinis necessitudine nobiscum intercedit, conjunctione non aliena vertimus, et a familiari congressu sæcularium ac mentis habitu in alium veluti mundum commigraverimus, juxta illud apostoli: *Nostra conversatio in cælis est; nullo modo scopum attingemus, Deo videlicet ut placeamus.* » Et S. Bern. de modo bene vivendi, cap. VII. « Omnia quæ in hoc mundo sunt servis Dei contraria sunt, etc. » Et mox: « Sancti viri peregrini sunt et hospites in cælo; unde reprehenditur Petrus, quod tabernaculum in monte fieri voluerit; quia sanctis in hoc mundo tabernaculum non est, etc. Et quanto se a conversatione hujus sæculi subtrahunt, tanto magis oculis mentis præsentiam Dei et angelicæ societatis frequentiam contemplantur. » Gerunt etiam se quasi parum aut nihil in mundo scirent, juxta monitum Eccl. XXXII. cap. *In multis est quasi inscius: et audi tacens simul et querens.* Quod sane præstitisse apost. audivimus ex ipsomet I. Corinth. II. *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum,* quasi dicat: Tametsi in humana etiam sapientia eruditus et versatus eram: adeo tamen eam ostendere non volui, quasi nihil de ea nossem. Qui se mundo familiarem facit, multis miscet negotiis et confabulationibus; non modo exstimationem suam brevi deperdit, sed etiam visco mundi facile adhæret: quo modo columbæ si e suo columbario evolantes

aliis se jungant, facile capiuntur. Unde Ose. VII. dicitur: *Factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor.* Columbæ agrestes si uni alicui cecuri, unguento esse conjungant, non difficile ab ea trahuntur ad columbare, ubi intercipiuntur, teste S. Basil. ep. ad Julittam. Ita viri etiam pii, religiosi et filii Dei si se aulis et aulicis, si filiis hujus sæculi, deliciarum et vanitatum unguento delibutis, crebrius sociare voluerint, metuendum ipsis, ne ab illis seducantur. Hinc S. Petrus, I. Pet. II. tam serio eos hortatur: *Obsecro vos tanquam advenas et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis quæ militant adversus animam.* Quia vero desideria illa sæpissime procedunt a propinquis, expedit Christiano notitiam exuere propinquorum profanam.

V. Quia ad instar peregrini et barbari ab hujus mundi sectatoribus cibus spretus, neglectus et derisus, ac denique expulsus est, quod ab ipso moribus toto cælo discreparet. Matth. IX. deridebant eum tibicines et turba tumultuanis, cum dixisset puellam mortuam dormire: Luc. XVI. deridebant eum avari, cum loqueretur de periculo divitiarum: Luc. XXIII. deridebant eum principes in cruce pendentem, eod. cap. Sprevit eum Herodes cum aula sua, et illudit indutum veste alba. Ejecerunt postea Judæi Jerusalem, adeoque juxta Christi parabolam, extra vineam suam, et ejectum occiderunt. Denique in cruce pendentem omnes dereliquerunt: sepultum quoque ne resurgeret, lapide ocluserunt: resuscitati famam et memoriam, quibus poterant modis, opprimere studuerunt. Itaque sicut peregrini solent allatrari a canibus, quacumque ingrediuntur: ita Christus in hoc mundo passim allatratus, et derisus, et spretus ab impiis mundi hujus incolis fuit, ut non immerito dixerit per vatem Psal. XXI. *Circumdederunt me canes multi.* Quod Domino gloriæ contigit, hoc etiam servis ejus et contigit et contingit adhuc, quotquot peregrini in hoc mundo et cæli cives sunt. Derisus fuit Gedeon a viris Socoth, Judic. VIII. derisus David in obsequio Dei a sua Michol, II. Reg. VI. Elisæus a pueris, IV. Reg. II. Job ab uxore, Job. II. Tobias a cognatis, Tob. II. Paulus ab Atheniensibus, Actor. XVII. Petrus a gentilibus ludicre attonsus; sic

reliqui omnes. Verum hic contemptus maxima eorum gloria est. Ostendit enim eos non esse de hoc mundo, stultæ, impuro, misero, transitorio: sed de altero beato et sempiterno. Si de mundo essent, mundus quod suum est, diligeret; quia vero de mundo non sunt, sed ei plane contrarii, propterea odio et derisione prosequitur eos mundus. Agnovit hoc etiam Seneca ex rationis dictamine, qui in libro de moribus scripsit: *Nondum felix es, si non te turba irriserit.* Judicium enim præbes, te stultæ et perversæ plebi esse adhuc similem, adeoque insipientem et injustum. Bene Diadochus, homil. XLVIII. *Multo, inquit, profuerit derideri te, quam unum aliquem ut ipse derideas, justi enim derisui ac ludibrio haberi solent, non iterum deridere.* Non movet rectum, si a claudis rideatur, quod rectis incedat pedibus; sed potius delectat. Pari modo justis; quo modo David videbatur sibi epulari et saturari opprobriis et lapidibus ab impio Semei in se coniectis: necnon promoveri ad recuperandum regnum suum, quod et paulo post recepit, II. Regum XVI. Quo exemplo instrui eos, qui peregrini hujus mundi sunt, mundanorum injuriis, derisionibus et illusionibus e mundi hujus exilio salubriter expelli, et in patriam suam cælestem impelli.

Quando igitur talem habemus peregrinationis nostræ prodromum et ducem, suo illustrissimo exemplo nos stimulantem, ut relicta hac mundi Sodoma et exilio ad patriam contendamus, superest ut remota omni dissimulatione præeuntem confestim subsequamur; nec cum uxore Lothi retrospiciamus. Convertamus potius ad cælum oculos nostros, ubi patria nostra; quod adeo naturæ humanæ impressit Deus, ut vel gentiles aliqui id cognoverint. Scribit enim de Anaxagora philosopho Laertius, cum ejus æmuli propter opes paternas ei actionem intentassent, cessisse eum ultro litigantibus bona sua. Cumque de hoc ab amicis stultitiæ argueretur digitos in cælum sustulit, dicens: *Illam patriam meam est, illam hæreditas mea est, illam ego curo, non quæ super terram.* Quid sapientius et sanctius dicere poterat homo christianus? Idem ergo et nos ac multo magis sentiamus et dicamus, etc.